

Tonndorff

1776





6
7

6
DE
IVREIVRANDO IN LITEM
AFFECTIONIS, IN EMTIONE VENDITIONE
NON CESSANTE,
COMMENTATIONEM,



PATRI PIE COLENDΟ,
IOANNI ANDREAE
DONNDORFF,

SERENISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI CAROLINAE.
LIBERAЕ ATQVE IMPERIALIS DIOCESEOS QVED-
LINBVRGENSIS PRAEPOSITAE, CET. A CONSILIIS,

NATALES SVOS CELEBRANTI,

D. V. MAII MDCCCLXXVI.

OFFERT

A V C T O R

Ho 2813 =
IOANNES AVGVSTVS DONNDORFF,
QVEDLINBVRGENSIS,
IVRIS VTRIVSQUE CVLTOR IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
ET SOCIETATIS DVCALIS TEVTONICAE, QVAE
HELMSTADII FLORET, SODALIS
ORDINARIVS.

QVEDLINBVRGI
TYPIS I. C. LEVI.





Inutile forsan, ac plane superuacaneum videretur suscepsum, quod eam materiam tractandam mihi sumserim, de qua iam dudum a viris egregie doctis tantopere in utramque partem disputatum est. Verum eligens hanc materiam, nunquam futurum putavi, vt illam omnino exhaustirem, cum non sim nescius, quam benigna opus sit ingenii vena, ad rem tam ambiguam ita enodandam, et ob oculos quasi ponendam, vt nullum amplius dubium circa eam ab aduersariis moueri queat; ea potius saltem literis mandare volui, quae a vero abhorrire mihi non videbantur, nulla habita ratione multarum controvèrsiarum, de hac quoque re saepenumero excitatarum. Et quid tum? Non ille ego solus sum, qui rem, a multis iamiam in disceptationem vocatam, et quasi decantatam, iterum pertractet. Nullus igitur dubitauit, quin quaestione: *An iuramentum in litem affectionis in emtione venditione locum habeat, nec ne?* hic paucis exponerem, meamque, de illa sententiam, argumentis quibusdam suffulcirem,

Iuramentum in litem, quod etiam *aestimatorium*, den *Schätzungsseid*, appellant, in *affectionis* et *veritatis* vulgo diuidi, tam notum est, vt nulla plane indigeret commemoratione, nisi conexio materiae, eiusque perspicuitas id desiderarent. *Lis* autem hoc loco non sensu proprio sumitur, sed significat rem, in litem deducitam, seu de qua certatur; a) vt igitur iuramentum in litem, generaliter acceptum, nihil aliud sit, quam *iuramentum*, quo b) *actor*, *iudice deferente*, c) *rem, quam perit, quamque dolo*,

A 2

vel

a) Vid. LAVTERB. in compend. iur. h. t. BORCHOLT. tr. de in lit. iur. c. I. n. 3. 4. VMM. disp. 20. th. I. n. 2.

b) L. 7. ff. de in lit. iur. RAVCAB. P. I. qu. 9. n. 18. CARPZOV. in process. tit. 12. art. 4. n. 15. et 32.

c) L. 4. §. 1. ff. de in lit. iur.



vel culpa, d) alter restituere, vel non potest, vel non vult, e) aestimat. De iuramento in item veritatis cum iam sermo sit, nec eius definitio specialis hic est necessaria. Iuramentum in item affectionis f) vero est, seruatis generalibus, modo adductis, iuramentum, quo res taxatur, secundum pretium particulare, seu secundum pretium, quod ipse actor rei tribuit, quodque ex sola, erga rem affectione sua determinat. g)

Quae cum ita sint, non intelligo, cur Dd. ibi demum huic iuramento locum esse contendant, vbi agitur de restituendo in sensu stricto? h) Prouocant quidem plerumque ad L. 68. ff. de R. V. vbi: *Si non potest restituere, siquidem dolo fecit, quo minus possit, is, quantum aduersarius in item sine ulla taxatione in infinitum iurauerit, damnandus est.* Sed non solum non obstat haec lex, quo minus iuramentum in item affectionis etiam in emtione venditione locum habere possit, cum, vt recte monet III. BOEHMERVS in ff. h. t. §. 5. vox restitutionis generalissima sit, et varias sub se comprehendant significaciones, i) verum etiam, vt infra apparebit, mirum quantum pro sententia nostra militat, aduersariorumque opinionem infringit.

Legi autem ante omnia omnino meretur L. 22. ff. de V. S. k)
Plus est in restitutione, quam in exhibitione. Nam exhibere est praesentiam

d) L. 2. §. 1. ff. de in lit. iur. l. 68. ff. de R. V. STRVV. in S. I. C. ex 17. th. 62.

e) Vid. MARTINI comment. forens. p. 994. n. 41. seq.

f) Quod etiam a DD. ordinarium vocatur MEIER. in ἐρδόξοις Iustin. decad. 4. c. 3. num. 1. in iure ἀντεμ οντα εἰσοχην iuramentum in item dicitur L. 8. in f. h. t. &c.

g) Non enim res pluris sit per hoc, sed ex contumacia aestimatur ultra rei pretium. L. I. ff. eod.

h) Quae sententia est VMM. disp 20. th. IV. n. 17. DVAREN. ad L. 5. ff. de in lit. iur. n. 21. seqq. et al.

i) cum quo etiam conspirat BRISSON. de V. S. bac voce.

k) cum qua conferenda est L. 75. eod. Restituere is videtur, qui id restitutus, quod habiturus esset auctor, si controuerchia ei facta non esset. Vid. etiam L. 35. L. 81. in f. 1. 246. §. 1. eod.

iam corporis praebere. Restituere est etiam possessorem facere, fructusque reddere, pleraque praeterea restitutionis verbo continentur. Quid clarius esse potest, hac lege, quid distinctius? Ut tamen eo accuratius rem examinare liceat, videamus primo, quidnam sit huius iurisiurandi fundamentum? Respondet ad hoc tam ipsa L. 68 all. quam L. 8. ff. de in lit. iur. nec non L. 2. §. 1. ff. eod. Interdum quod interfuit agentis, solum aestimatur, vcluti cum culpa non restituentis vel non exhibentis punitur; (quae verba de iuramento in litem veritatis intelligenda esse credo¹⁾ cum vero dolus, aut consumacia non restituentis, vel non exhibentis, quanti in litem iurauerit actor. Ex quo fluit prono alueo, fundamentum a parte rei esse dolum vel culpam latam, ^{m)} quae nonnunquam, et toties praesertim sibi aequiparantur, quoties poena pecuniaria locum habet. ⁿ⁾ Nonne autem dolus in emtione venditione, aequa ac in aliis contractibus occurrere potest? Nonne vendor in re tradenda aequa contumax esse potest, ac alius quilibet? Accedit, quod fundamentum a parte actoris, in affectione, in rem cadente ^{o)} consistens, ^{p)} in emtore non minus obtinere possit. Itaque omnino etiam distinguendum est, utrum quis emerit res fungibles, aut

A. 3

non

1) Vix enim, ut obseruat LDOVICI in ff. h. t. §. 8. in legibus Romanis distinctione inter iuramentum affectionis et veritatis, clare reperitur, et iuramentum veritatis magis ex legibus Germanorum, quam Romanorum descendit. SCHILT. ex 23 th. 56. 57. estque species iuramenti suppletorii. BOEHMER Tom. III. P. II. consult. 322. n. 33. quod, quando locum habeat, ostendit HELFELD in ff. h. t. §. 818. Neque adeo hanc distinctionem hodie usum habere docet CARPOV in Iurispr. for. P. I. c. 23. def. 19.

m) Quod etiam luculenter patet ex L. 2. C. L. 4. §. 4. et L. 5. §. 3. ff. h. t.

n) Vid. L. 226. ff. de V. S. L. 2. C. h. t.

o) Addunt etiam inopiam probationis, quod tamen praeter necessitatem fieri a Dd. scribit ANTON. VSILL. ad §. praeterea I. de act. n. 78. Verum cum Dd. talem difficultatem probationis intelligent, quae non facile per testes aut documenta praestari potest, sed ubi, propter affectionem agentis, quae solo in animo consistit, necessario recurrendum est ad iuramentum, c. Pastoralis X. de except. non video, quod superfluitatis sint arguendi interpretes.

p) L. 3. ff. h. t. L. 36. ff. de bon. libert.



non fungibiles? Ad illas certe iuramentum in litem affectionis referri non potest, quia iam per se sunt corruptioni obnoxiae, nec recipere possunt affectionem, q) bene tamen ad has, quando in ipsa illarum qualitate causa affectionis posita est, v. c. si res propter raritatem sit pretiosa, lusus naturae aut artis, si vel plane non amplius, vel difficulter iterum haberi possit, cet. quae tamen, quia facti sunt, ab allegante doceri debent. r) Reliqua vero praeterea hic quoque obseruanda esse requisita, quae alias iuramenti in litem affectionis natura exigit, ut scilicet ipsa res emta, de qua certatur non possit restituui; ut dolus, vel culpa lata vendoris concurrat, cet. quisque, vel me non monente, facile videt; quae ideo omnia h. l. non. ruminanda, sed ad Pandectarum compendia releganda sunt s)

Sed vt eo revocetur, vnde huc declinavit oratio, pauca iam repetenda videntur ex legibus supra allegatis. Obiici nimirum solet ab aduersariis, hoc iuramentum presupponere dominium, quod tamen quis per traditionem demum acquireret, emtorem autem ante traditionem non esse dominum, ideoque nec in litem iurare posse. t) At inspiciamus ipsa verba legis: *Restituere est etiam possessorem facere.* Quid hoc aliud est, quam si diceres: *Restituere idem significat ac tradere?* Si enim possessio rei in me transferri debet, res mihi tradatur necesse est, per traditionem autem, legali modo factam, dominium acquiritur; et quare haec verba intelligenda tantum essent de illarum rerum restitutione, quae petentis

q) Vid. THOMASIVS in diss. de pretio affectionis, in res fungibles non cadente. WERNH. P. IV. obs. 123.

r) L. 3. ff. h. t. HELLFELD in ff. h. t. §. 816.

s) Plane singularem et ab omnium fere ictorum sententiis abhorrentem opinionem fouent MARC. LYCLAMA lib. de meunda rei aestimat. vbi non, nisi unicum iuramentum in litem dari arbitratur, *veritatis* nempe, quia iurare ultra veritatem, ex affectione, esset peierrae. Quam tamen opinionem merito reliquendam esse puto, propter expressam declarationem L. II. ff. de in lit. iur.

t) Quam sententiam fouent DVAREN. ad L. 6. ff. de in lit. iur. n. I. et 2. FRANTZK. in comment. ad ff. de in lit. iur. n. 13. STRVV. in synt. iur. ciu. exere. 17. th. 64. et alii, quos breuitatis causa prætermittere placet.

tis iam propria sunt, nulla appetet solida ratio, cum lex nihil de hoc disponat, et ubi leges non distingunt, nec nostrum sit distinguere. Iam vero hoc applicemus ad verba L. 68. all. *Si non potest restituere, siquidem dolo fecit, cet.* Egregie, ut mea fert opinio, haec ad venditorem quadrant. Fieri enim potest, ut rem a Caio emam, eique iam ante traditionem pretium persoluam, quo tamen accepto, rem me absente nihilominus iterum vendit, ut duplum inde lucretur. Dolose igitur agit. Quare, si iussus a iudice, restituere, non paret, ad iuramentum ego admitti debeo, quanti rem, qua nunc carere me oportet, aestimem.

Quibus peractis, multum adhuc ad rem nostram facere videatur L. ead. in f. ibi: *Haec sententia generalis est, et ad omnia, sive interdicta, sive actiones in rem, sine personam sunt, ex quibus arbitratus iudicis quid restituitur, locum habet.* Quae verba, licet per se iam satis sint clara, nec ullam contineant exceptionem, mirum quantum adhuc illustrantur per L. 5. pr. ff. h. t. *In bonae fidei iudiciis in litem iuratur.* Quae cum ita se habeant, quis amplius dubitabit: an ab emtore quoque in litem iurari possit? Est enim eratio venditio contractus consensualis, ideoque b. f. Iam vero in b. f. contractibus leges hoc iuramentum generaliter admittunt, (quamvis etiam non eximant contractus stricti iuris, per L. 5. all. §. 4. vbi: *Plane interdum et in actione stricti iudicis in litem iurandum est v*) ergo et emtor sine dubio, concurrentibus aliis requisitis ad illud admittendus est. x)

Atque haec quidem hactenus. Hanc materiam nondum exhaustam esse, lubenti animo fatemur. Sed nec hoc erat propositum nostrum. Paucis demonstrasse sufficiat, neque analogiam iuris, neque ipsas leges sententiae nostrae repugnare. Quare iam filum abrumpere, eaque aggredi lubet, quae scribendi occasionem dederunt,

Exci-

v) Cf. ANDR. RAVCHB. P. I. quaest. 9. n. 32.

x) Vid PETR. COSTALIVS in aduersi, ad L. 5. ff. dc in lit. iur. MEIERVS sive colleg. Argent. h. th. 6. CARPZOV. in Iurispr. for. part. I. c. 23. def. 19. n. II. et lib. 6. Resp. 68. n. 10. aliquie, quos recenset L. I. MARTINI in commentario forensi, p. 993. n. 32.



Excitarunt me, quos hodie celebras, PATER PIE CO-
LENDÉ, exoptatissimi TUI natales; et licet iam fugere TE
nequeat, quantus in TE meus sit amor, quanta TIBI morem
gerendi cupiditas, non tamen potui, quin nunc publice TIBI
significarem id, quod sentio. Ne autem auribus TUIS blandiri
vidlear, TUA, quae multa sunt in me merita, iam commemorare
nolo. Mox elapsum erit tempus, quod ante tres ab hinc annos,
fauente Deo T. O. M. auspicabar, quodque, ob varias, ad cor-
rumpendum animum illecebras, non sine ratione habetur pericu-
losissimum. Nulla unquam, cum adhuc apud TE viuerem,
ipse pepercisti opera, ad animum meum illis impertiendum, qui-
bus puerilis, et intenilis aetas, impertiri debent. Reliqui TE
saluum, incolumemque, omnibus destitutum calamitatibus, quae
mortales saepe affigere, vitamque iniucundam reddere solent.
Vtinam hoc perdiu adhuc de TE praedicare mihi liceret! Vti-
nam satis exprimere TIBI possem laetitiam, qua hodiernus dies
me afficit. Accipe igitur, quod pietas, gratusque animus TIBI
offert munusculum, tanquam exiguum, reverentiae debitac
signum, Deus ille princeps, dominus ac moderator omnium re-
rum prosperam ac diuturnam TIBI, tam mentis, quam corporis
valetudinem, praebeat, TEque sartum, tectumque, ab omni
incommodo, detimento, molestia, sincerum, integrumque con-
seruet. Semper

sint TIBI mollia fata,
et in omnibus rebus fortuna optatis TUIS respondeat. Ego
nunquam non rerum parentem precabor, vt quaevis bona, qui-
bus vera felicitas absoluitur TIBI benigne largiatur.



ULB Halle
005 725 062

3



B.I.G.

Black

19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1

3/Color

16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1

White

Magenta

Red

Yellow

Farbkarte #13

Green

5
4
3
2
1

Cyan

2
1

Blue

1



DE
IVREIVRANDO IN LITEM
AFFECTIONIS, IN EMTIONE VENDITIONE
NON CESSANTE,
C O M M E N T A T I O N E M,

PATRI PIE COLENDO,
IOANNI ANDREAE
DONNDORFF,

SERENISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI CAROLINAE.
LIBERAЕ ATQVE IMPERIALIS DIOCESEOS QVED-
LINBVRGENSIS PRAEPOSITAE, CET. A CONSILIIS,

NATALES SVOS CELEBRANTI,
D. V. MAII MDCCCLXXVI.

HO 2813 =
OFFERT
AVCTOR
IOANNES AVGVSTVS DONNDORFF,
QVEDLINBVRGENSIS,
IVRIS VTRIVSQUE CVLTOR IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
ET SOCIETATIS DVCALIS TEVTONICAЕ, QVAE
HELMSTADII FLORET, SODALIS
ORDINARIUS.

QVEDLINBVRGI
TYPIS I. C. LEVI.

KENFRIED
UNIVERS.
ZV HALIE